

ejus atque assiduis postulationibus Patres vieti , ne is pacem , quam cum illo fecerant , si rejiceretur , frangeret , ab Alexio incolis omnibus emigrare jussis , aliisque in locis collocatis , rebus asportatis , arce diruta , eam inanem atque vacuam importuno regi relinquendam censuerunt . Erat paucis ante id Senatusconsultum diebus Marcus Antonius Sabellicus , qui res Venetas conscripsit , ipsa in urbe mortuus : laudaveratque illum Egnatius . Quoniam vero civibus Venetis , qui tunc in Aegypto mercaturam exercebant , multa incommoda rex Alexandrinus intulerat , auctis præter morem Indicarum mercium pretiis , ipsorum bonis vi direptis , aliquot in vincula coniectis ; Senatusque ea de re per legatos apud regem questus fuerat : regis legatus ad Senatum venit ejus controversiæ dirimendæ atque componendæ gratia , Tanguardinus homo Hispanus , qui multos annos Alexandriæ fuisset . ei est sumptus de mercatorum pecuniis æquis portionibus æstimatis datus .

E Gallia etiam ab rege literæ , Julii literas ad Senatum datas attulerunt ; quibus literis , quoad Julius vivet , Ariminum & Faventiam retinendi reipublicæ facultas dabatur . Eas literas Julius ad regem miserat , ut per illum Senatui redderentur , quo major auctoritas intercederet ; quod intelligebat , illarum scripto multo minus se præstare , quam id erat , quod pactus cum republica fuisset , legatoque ipse Veneto suam oratione confirmavisset . Id ubi Patres de legato regio intellexerunt , magna eos indignatio tenuit , ingrato animo esse Julium prædicantes , nullaque constantia , qui tantis receptis finibus , tot ad se missis una legatione civibus , quot nemini unquam externo , tam insignibus in illum civitate funda officiis , tamen nunc conditionibus a se uno positis non stet , nisi tenuissima ex parte , atque ejus quidem partis rege internuncio , ut illius auctoritate res , quemadmodum quidem vult , minore negotio transfigatur . Eas ob regis literas coacto biduum Senatu decernitur , literas Julianas non esse accipiendas . Ferdinandus interea rex classe Ne-

H. Bembi .

Q 3

polim

*Sabellicus  
moritur  
xiii. kat.  
majas.*

*litteræ  
meritorum  
xiii. kat.  
majas.*